

14 DE CURAN. VULNER.

*zis libro περί τραυματων, quam Iacobus Perusinus è natura petitis argumentis confirmat: vide Vidium Vidum Florentinum Commentario in eundem librum.*

DE FRACTURA  
CRANII.

CAP. III.

SÆpe ab indoctis atque inexpertis chirurgis in capitalis ossis ruptura ob artis ignorationem, atque ob iudicii defectum, non sine gravissimo periculo peccatur: dum nihil ab istis de ossium ruptura cogitatur; &, an in cerebri telis, membranis & articulis quicquam læsum aut punctum fuerit; disquirere negligitur. Solent namque inferioris ossis (quam vitream tabulam vocant) partes non rarò discindi, discuti, atque etiam disijci, ac dissipari: id autem vitium sæpius etiam in inferiori quàm in superiori tabula factum esse deprehenditur: quam quidem rem gravissima imprimis symptomata, deinde verò mors ipsa consequitur. At verò non rari sunt, quibus levissimum est, ubi nulla fractura, nec fracturæ quidem suspitio ulla cogit, caput ipsum incisione aperire: ubi verò certam rupturam suspicari meritò possis, nihil omnino aperiunt. His autem rebus  
artis

artis ignorantia, & intelligendi negligentia, & laboris ac studii in rebus cogitandis fuga in causa est. Adde his animi superbiam, & cupiditatem: nam congerendis nummis impensè nimium studentes, doctioribus parere curantibus, & periculum facientibus adesse dedignantur. Ex ea adeò re evenit, ut probatorum medicorum atque chirurgorum copia, multis in locis regionum nostrarum, ab hinc quadraginta annis, atque eo amplius desideretur. Nam quam multis theoreticæ atque artis cognitionem in utroque medicinæ genere tribuamus; accidit tamen, ut cum ab initio expertissimis in praxi ipsa non assueverint, cum optima scientia obscura jungatur experientia: quòd jam pridem, hujus artis usus, atque operatio, ad empiricos & tonsores redacta sit: qui vel nihil aliud norunt, quàm quod à suis ejusdem farinae magistris didicerunt: vel, quod miserrimum est, suam quisque libidinem, suum privatum errorem, nullo, neque indocto etiam, auctore sequuntur. Hinc etiam fit, ut si gravis aliqua & magni momenti curatio contingat, tametsi nonnihil jam illis cognitionis vel ex temporis longitudine, vel ex ingenii felicitate, vel alia ratione sibi pepererint; tamen instrumentorum aut  
inven-

inventorum, aut inveniendorum usu, quibus ea res effici possit, careant: cum nulla talia ipsis vel videre, vel cogitare unquam contigerit. Si quæ verò illis fortè sint, neque ea norunt, neque iisdem uti didicerunt: id quod frequenti periculo deprehendimus. Quotus enim quisque in hac citeriori Hispania est, cui abaptisti (sive terebellum sive trepanum vocare malis) usus notus sit, imò istis plerumque terebrandi officium, ut periculosissimum, & lætale omnino damnatur, asserentibus fieri non posse, dum trepano utaris, quin eæ, quæ cerebrum circumstant, membranæ, omnino vitientur, & multa præterea alia in erroris sui defensionem jactantibus. Atque una causa est, quæ me, ut opus hoc aggrederer, compulerit: ut nonnulla vulgo difficillimæ curationis habita exprimerem, non quod magnam aliquam ipse mihi scientiam arrogem, sed quòd longitudine temporis, exercitatione, atque multo usu, mediocri eruditione, & assidua lectione adhibita, plurimos, multis in locis, divino auxilio fretus, curaverim, & multorum etiam medicorum, & chirurgorum variis & frequentibus affuerim curationibus. Docebimus autem eos quorum id scire intererit, quis agendi modus in capite curando sit, quis  
 vario-

variorum instrumentorum usus, trepanorum videlicet, atque eductoriorum & eorum quæ levatoria vocantur, ac multorum præterea quæ à me inventa excogitataque sunt. Interdum etiam curationes referre minimè pigebit, quæ à me dextro numine feliciter peractæ hactenus fuere, & quotidie etiam peraguntur, non solum in capite, sed in pectore etiam, in ventre atque intestinis. Sed nunc porro ad cranii rupturam, unde digressi sumus, jam redeamus. Hæc ubi ex signis (ut jam diximus) cognita fuerit, cum vulnere ex arte facto locus etiam fuerit apertus, rimulam ostendet manifestam. Majorem autem rupturam interius, quàm exterius, subesse is facile dijudicabit, qui lapidis ictu percussam testam plus vitii in concava quàm in convexa sui parte fecisse viderit.

Sed & si nihil omnino ruptum intus foret, tamen aliquam partem fuisse commotam, non est negandum: eam verò commotionem venæ alicujus ruptio secuta est, ex qua effusus atque concretus cruor in tabem & pus corrumpitur: cui cum ad purgandum, evaporandumque, nullus pateat locus, fit ut quæ circa cerebrum fuerint pelliculæ, & membranulæ, deinde & cerebrum etiam ipsum, inflammentur & corrumpantur.

Atque

Vide Soranum qui de vulnibus capitis etiam scripsit.

18 DE CURAN. VULNER,

Paulus  
lib. 6.

Atque hujus quidem rei manifesta paulò post signa apparent, quæ cum apparuerint, actum profecto de homine ipso est, Præterea etiam fieri potest, ut quanquam venæ non rumpantur, ex vehementi tamen concussione, ex ictu, ex dolore etiam accepto, plurimus intra venas ipsas evocetur sanguis, & loci propterea inflammatio itidem & corruptio consequatur.

Vide  
Hippo.  
lib.  
proprio.

His igitur omnibus periculis nulla re commodius quàm trepano curetur. Namque ubi cranium terebello apertum est, & membranæ conspici possunt, quanquam inflammatus corruptusque locus sit, tamen curari plerunque, & sanari contigit: & cruor ille ex ossis vitio, vel concussione, concretus conspicitur, & abstergitur.

Igitur illud in hoc eventu primum omnium curandum est, ut vulnus aperiat, aperaturque locus, atque stupis ovi albo maceratis constipetur, deinde verò ligetur.

A sequenti verò die, ad septimam usque hujusmodi sirupus ægroto mane propinabitur, cujus usus opportunæ purgationis officium præstabit. Alias namque purgationes vehementer nocere hoc modo affectis comperimus.

*R. Sirupi rosati ℥ ij.*

*aque*

*aqua plantag. ℥ iij. misceto.*

Tandiu autem exquisita diæta uti oportuerit, quoad carnibus jam indigere cognoscatur.

Sequenti verò die, hoc est primæ curationi proximo, secunda curatio balsami nostri illitu & emplastro de gummi elemii impositione peragenda est, loco demum probè colligato.

Tertio autem die terebello ad aperiendum uti oportuerit, cuius instrumenti ratio, & usus à nobis suo loco docebitur, sed cranium ipsum, ab inferiori vulneris parte, trepano aperiendum est; statim autem ubi apertum fuerit, os cochleari illo, quod in theca chirurgica est, oleum rosatum, & muliebre lac, cum rosaceo melle, æqua singulorum portione, ad candelæ flammam calefactum conjicito: quantitas tamen ipsa cochlearis mensuram non excedat. Hoc ubi expeditum fuerit, rotundam bombycini rubri (Hispani sandalum vocant) portiunculam, inter os ipsum & cerebri membranulas indito, quo membranæ pulsando, nihil à rupto lædantur ossæ. Foramen autem filis lineis in circum confirmatis occludito, cranium deinde, ex liquefacto balsamo nostro, pluma leviter inungito: totum postremò vulnus, ubi inunctum fuerit, filis  
non

## 20 DE CURAN. VULNER.

non nimium compressis oppleto, & emplastro de gummi elemii, aut de minio superposito, curationem absolvito. Hoc profecto modo curatis, postera die pus optimè & commodissimè coactum, atque confectum conspicitur: quomobrem arbitror non oportere digestiva illa, neque his, neque aliis ullis vulneribus adhibere, quæ vulgo ex ovi vitello, oleo rosaceo, terebinthina constant: neque caput ipsum oleo rosaceo inungere, sed nec membrum ullum aliud vulneratum, namque hoc balsamo nostro optimum pus citissimè conficitur: nec locus inflammatur. Atque facilè testari possum, me diu hoc, quem descripsi, curationis modo usum, nunquam neque in maximis vulneribus panituisse: sive membrana fuerit corrupta, sive cerebrum ipsum fuerit comminutum, & cerebri pars aliqua pereat, & quantum ego judico, eorum digestivorum, atque inunctionum usus, in causa esse solet, ut vulnerum curationes ad alterum, atque ad tertium usque mensem proferantur: corrumpuntur enim, atque putrescunt plusquam satis est, vulnera, & complexio deterior fit, membrumque ipsum debilitatur, quod contra omnino contingit, si eo modo quo diximus curentur.

Nam

Nam & sanitatis tempus rarò mensem excedit: ossa autem si quæ extrahenda sunt, vigesimo quinto die aut ante remittuntur pro fracturæ ratione. Nam ex majori fractura, citius eruuntur.

## ANNOTATIO.

Cranii fractura, est divisio calvariæ: quarum sunt hæc differentiæ, fissura, excisio, expressio, depressio, in infantib. contusio, & ( ut Galenus addit ) cameratio. Hæc fractura si manifesta est, eo usque scalpello explorari debet, donec fugiat rima nostrum oculum: atqui nec ita contenti esse debemus; si Hippocrati creditur: verùm atramento tingenda calvaria est, atque id sequenti die est radendum: ut videre est apud eundem. nobis enim propositum non est, universa, quæ ad hanc rem faciunt, tradere: sed quo quæque loco sint promenda indicare.

Etsi nihil omnino ruptum fuerit ]  
Nescio qua ratione id deprehendimus Antverpiæ hoc anno, ut quamplurimi citra calvariæ lesionem, ex cerebri, seu menyngum concussionem ( effluente è venis sanguine ) obierint. Quod malum eò magis fuit capitale, & funestum; quò minus illi qui sic affecti erant, in solita symptomata incurrerent: nam quum septimo aut ad summum decimoquarto die symptomatibus ab Hippocrate descriptis  
hæc

hæc se noxa manifestet, hi illis diebus bene valere, non febrere, non vomere cœperunt: decimo septimo, aut vigesimo, & , quod magis est mirandum, quinto & vigesimo, hæc sese ostenderunt: mortuique sunt omnes. De hac re Celsum vide, & Ioannem de Vigo proprio capite.

Illud igitur ] Chirurghiam ita aggredimur: pilos præradimus: ad ipsum vulnus duas sectiones facimus, quæ ad rectos angulos sese secant. Paulus ad similitudinem X. Græcæ literæ faciendum admonuit.

Stupis ovi albo maceratis] Paulus Ægineta posam exhibet, & vinum cum rosaceo apponit.

Jam diu exquisita diæta] Victu inquam inflammationem arcente, quem veteres febrilem apellant.

Tertia die] Hippocrates monet, ne ad tertium diem differatur, præsertim aëris constitutione calida, & Galenus in secundo de Officina medici, sequenti die id fieri vult, nisi aliquod novum symptoma superveniat.

Statim ubi apertum est os] Meritò statim dixit: nam membrana quàm celerrimè purganda & siccanda est: ne si madens sit, hebes fiat, & attollatur: quæ cum ita accidunt, periculum est ne putrescat.

Oleum rosaceum ] Constat Galenum patefacta membrana, non modò inflammatione urgente, sed etiam doloris causa, lenien-

nien  
anim  
nem  
supr  
Apo

DI

T

est  
rum  
can  
igit  
secu  
dur  
gat  
con  
que  
est  
qu  
nor  
bra  
nel  
me  
ma  
tia  
ter

nientibus uti, libro secundo *ἔτι τόπος*, ubi animadversione dignum puto, quod sanguinem columbinum calidum, ex ala detractum, supra cerebri membranam induci probet, Apolloniam secutus.

## DE USU TEREBRÆ, Sive anabaptisti.

### CAP. III.

**T**ertio die postquam vulnus factum est, terebræ officio uti oportebit, est namque duplex terebræ genus, alterum masculum, foeminam alterum vocant Græcis *ἀλάπτιστον* dictum. principio igitur, mas super cranio collocandus est, secundum infimam vulneris partem, dum modò, nullam commissuram attingat, hunc ad perpendicularum semper constitutum rotare eousque oportet, quoad in osse tantum penetrarit, quanta est ejus nummi argentei crassitudo, quam Hispani *Real de à quatro* dicunt, nonnihil etiam amplius. Est autem terebræ mari anceps ligula, in medio quam nespulam vocant, quæ fabrilis taladri modo penetret. atque hæc centrum format in osse: terebræ autem circumferentia circulum in osse describit. Foeminæ terebræ nihil in medio est, ejus tamen circum-